



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Bona Volvntas Optimæ Consentiens. Seu De Sequendo In Omnibus Ductu Providentiæ Diviniæ**

**Foullon, Jean E.**

**Leodii, 1657**

Index Concionatorius In Adventum, Quo materiæ pro Dominicis Festisque  
in id tempus incurrentibus, præter materias hinc in dies singulos  
desumendas, partim deducuntur, partim suggeruntur, in gratiam ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54992](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54992)

INDEX  
CONCIONATORIUS  
IN ADVENTUM,

Quo materiae pro Dominicis Festisque  
in id tempus incurrentibus, præter  
materias hinc in dies singulos desu-  
mendas, partim deducuntur,  
partim suggeruntur, in gra-  
tiam Concionatorum.

DOMINICA I. ADVENTUS.

**T**HEMA. *Arescentibus hominibus pra timore & expectatione, respicite & levate capita vestra. Luc. 21*

Post brevem Evangelii enarrationem, qua nec gratius quidquam auditoribus, neque utilius est, quando in Evangelia dicitur, & post imploratum Spiritus Sancti auxilium: incipi poterit à distinctione duplicis iudicii divini, Temporalis scilicet, & Æterni, illius in hac vita, hujus in altera. Indicatur ea distinctio ab Augustino lib. 20. de Civ. cap. 2. &c. Habemus eandem in Scripturis. Nam de Temporalis & Vitæ hujus iudicio, sumendum illud Osee 2. *Iudicium Domino cum habitatoribus terra:* & illud Isaïæ, *Cum feceris iudicia.*

*judicia in terra, justitiam discent habitatores orbis.* De Æterno autem & vitæ alterius judicio frequentissimè habemus: *Pater omne judicium dedit filio: sedebitis judicantes duodecim tribus Israël: judicium sedit & libri aperti sunt.* De utroque genere judicii Christus agit Luc. 21. Nam de priore sunt ista verba, *Surget gens contra gentem, erunt terra motus, &c.* Ad posterius spectant, quæcumque in Evangelio hodierno habemus. Quæremus de utroque, quomodo Christus in illis Christianos suos se gerere desideret: qua dispositione animi velit à nobis judicium extremum expectari: qua item comparatione judicium calamitatum præsentium spectari à nobis, & sentiri cupiat.

De extremo Judicio aperta Christi verba sunt, *Arescentibus hominibus pro timore & expectatione, vos discipuli mei respicite & levate capita vestra,* qui gestus est desiderantis, fidentis & læti animi signum. Itane verò, ô Christe, tu nos gaudere jubes, fidere, desiderare, quando non homines solum arescunt, sed & ipsi Sancti sola præcogitatione trepidant. Quis vir D. Chrysostomus? Ille tamen hom. 13. ad pop. Antioch. magis affirmat se ea cogitatione percelli, quam reum denuntiatione horrendi supplicii. Quis vir D. Bernardus? Ille tamen Serm. 4. ad forum de modo bene vivendi, ait, *Qui incipit judicium credere, incipit timere.* Quid jam Pelagiam, Nonno de Judicio concionante conversam, memorem? Quid Bulgarorum Regem, pictura

pictura iudicii ad fidem adductum? Narrat  
 Baron. tomo 10. an. 845. Quid conversos,  
 D. Vincentio Ferrerio de ea materia concionan-  
 te? Trepidant non peccatores tantum, sed &  
 Sancti: quid ergo nos in eo die, terrores undique  
 ingerente, reperiemus ubi requiescat pes noster?

Objecta tria desiderii & gaudii, inter tot me-  
 tuis argumenta, invenio: primum, honorem  
 Dei: alterum, honorem filiorum & servorum  
 Dei: tertium, beatitudinem corporum. Dei ju-  
 dicia temporalia plerumque hic sunt occulta,  
 aliquando diu differuntur: ideoque quia differ-  
 tur adversus malos sententia, filii hominum  
 absque timore ullo perpetrant mala. Iphis pio-  
 rum animis ea cogitatio non raro facessivit ne-  
 gotium: Davidis poenè moti sunt pedes, poenè  
 effusi sunt gressus: Habacuc eodem fermè mo-  
 do concussus, aliique pariter sanctitatis. Ideò  
 desiderabile nobis est Iudicium Dei, ubi secreta  
 & interiora Dei iudicia nobis patefcent, miran-  
 daque istius Providentiæ æquissimæ gubernatio  
 in consiliis super filios hominum. Expendit hoc  
 insigniter Augustinus 20. de Civ. cap. 2. *Ne-  
 scimus quo iudicio Dei, bonus ille sit pauper &c.*  
 Desiderabile itaque nobis est iudicium extre-  
 mum pro Dei honore. Et hanc præsertim ob-  
 causam S. Catharina Genuensis aliquando, cum  
 ea verba in confesso dicerentur, *Surgite mortui  
 venite ad iudicium*, exclamavit cum impetu,  
 stupentibus omnibus: *Iam optarem venire.*  
 Vide Vitæ ejus cap. 42.

Quamquam, etsi id non foret, tamen ob solum honorem filiorum Dei esset desiderabile iudicium, ac præsertim ad gloriam Unigeniti Filii Dei, primogeniti ex mortuis, Christi Salvatoris, quæ homo est. Quomodo habitus fuit in vita mortali? Quomodo ab hæreticis in Eucharistia? Ab Infidelibus aliis in imaginibus &c. Tunc autem in nubibus cæli cum potestate & maiestate. *Hic est ille dicam fabri filius &c.* Verba sunt Tertulliani lib. de Spectaculis, Christum iudicem Judæis & incredulis pro spectaculo proponentis. *Ecce dicam, cum Augustino, hominem quem crucifixistis: ecce Deum & hominem, in quem credere nolulistis: videtis vulnera que infixistis?* In ea cogitatione defixus, opinor, D. Ioannes Evangelista Apoc. ult. versu 20. cum à Christo audisset, *Etiam, venio cito, statim in hæc verba erupit, desiderii & gaudii, Veni Domine IESU.* Eandem ob rationem D. Augustinus Tract. 9. in epistolam Joannis dicebat: *Fratres, date operam intus agere vobiscum, ut desideretis diem iudicii. Aliter non probatur perfecta caritas, nisi cum caperit ille dies desiderari.* Desiderabat rusticanus ille adolescens annorum 18. qui cum ab annis abhinc circiter viginti in Sacerdotem Societatis nostræ incidisset in itinere, ita de Iudicii desiderio Christianè disseruit, ut suspicaretur Sacerdos se cum Angelo agere, nisi paullò post adolescens peccata confiteri cæpisset. Res typis vulgata est, cum benè longo dialogo. Multis ante ipsum, & ante

& ante Christum, sæculis pastor alius, quem Deus de post foetantes acceperat pascere populum suum, ita ejus extremi diei desiderio æstuebat, ut lætari velit cælos & terram, quia venit *Deus judicare terram in justitia, & populos in aequitate.* Æquissimus Dominus filium suum, qui judicatus fuit, constituit universorum Judicem, ut ipsi ablatum honorem restituat centuplicato scenore.

Neque ipsi solùm, sed & fratribus ac filiis ejus. Quàm multi Martyres obiére illamentati, insepulti, pessimè etiam post mortem habiti? Quot Sancti pro impiis habiti, imò & pro Magis? Quotus quisque hominum piorum censuras temerariorum judiciorum, & linguarum notas atque obelos, potuit evadere? Vide quid de judiciis hominum præcipitibus dicat Chrysostr. hom. 5. in cap. 2. epist. ad Rom. Vide & Aug. serm. 202. de Temp. Solatio maximo est fidelibus mentibus, cùm cogitant venturum diem, qui omnes illas noctes dissipet: affore aliquando judicium, quo opiniones omnes & suspiciones diluantur. Eò Christianos vocabat Tertullianus libro de spectaculis: *Ille ultimus ac perpetuus judicii dies, ille nationibus insperatus, ille derisus.* Eò respexit Episcopus Gebennensis B. Franciscus Salesius, quando infami calumnia Parisiis appetitus, & de ea ab amicis monitus, id solùm quietè respondit, *Affore diem, quo dies omnes recensentur.*

Si honoris ratio non satis tangit, tanget forsam

propius beatitudo corporis, sine qua aliquid animæ ad fælicitatem deest. *Exspectatio enim creatura revelationem Filiorum Dei expectat*, ut inquit D. Paullus Rom. 8. *Exspectatio*, inquam, sive ἀποκαταστάσις, Extensio caputum, ad expectationem significandam: quod ipsum Christus hodie dicit, *Respicite & levate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra*, absolutio à miseriis hujus vitæ & resurrectio corporis beati. O fælicem expectationem ac Redemptionem, quando corpori nostro, & singulis sensibus, qui in Dei causa laborarunt, dicere poterimus, quod B. Petrus de Alcantara post mortem apparens dixisse fertur, *Felix labor tanto dignus premio*. Interim nostra conversatio, seu ut Hilarius legit libro II. de Trin. nostra expectatio in cælis est, *unde etiam Salvatorem expectamus*, isto solenni adventu ac judicio, *Dominum IESVM Christum, qui reformabis corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ*.

De Judicio Extremo jam diu dicimus: quid autem de Temporalibus? Reliquo Adventus tempore dicendum erit, idem quod de Extremo, *Respicite & levate capita vestra*, ô Christiani, in quibusvis malis temporalibus. *Quoniam appropinquat redemptio vestra*: Arescant alii præ timore: sit in aliis, ut Nahum dicebat cap. 2. *Cor tabescens, & dissolutio gemiculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies eorum sicut nigredo ollæ*. At vos Christiani, canite in eo Dei  
judicio.

judicio, quod Angeli in Nativitate Christi cecinerunt, *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ad gloriam Dei, & bonum vestrum simul isthæc omnia eveniunt. Narrant, equitem audita suavissima voce in aviis silvarum, eam secutum, venisse ad moribundum non hominem, sed spirans cadaver: erat enim leprosus, cui partes corporis semiputres undique habant. Mirante equite cantum in eo statu: at tu, inquit leprosus, mirarisne captivum gaudere & cantare, cum carcer ejus dirumpitur, & in proximo est jucundissima numquamque desitura libertas? Ex Salmerone id habeo, ipse ex aliis. Si parabolam esse existimatis: efficere tamen poteritis, ut verissima sit rei factæ ac faciendæ narratio. Modus alius non est, quàm Voluntatis humanæ cum divina conjunctio in omnibus eventis. Eam qui habet, seu sanus sit, seu leprosus; sive integer sit honor, seu per partes abeat; seu vita constet, seu mors imminet, semper respiciet & levabit caput suum, canetque tranquillè cum Angelis, *Gloria in excelsis &c.*

FERIA SECUNDA.

**T**HEMA. *Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Explicandus primùm ad literam hic cantus Angelicus: & præsertim insistendum parti secundæ, è qua aliqui tertiam faciunt: homines bonæ voluntatis sumi dupliciter, indico pag. 4.



sect. 1. num. 1. In secundo sensu, sive de bona voluntate activa, intelligemus ferè toto hoc Adventu. Invocemus Spiritum Sanctum & Virginem salutemus. AVE.

Ingressus sit ex Procemii num 1. & 2. ubi dicitur generatim de Bona Voluntate, cujus bonitas existit ex applicatione cum divina. Tum subdatur de Tractatûs illius Suavitate & Utilitate: qua de re aliquid habes in præfatione ad lectorem. Et certè ipsa multitudo Tractatorum & Scriptorum ea de re ostendit satis ejus utilitatem. Scripsère Chrysostomus, Salvianus, Prosper libros de Providentia. Jam recentiores quàm multi? Quid de veteribus, Seneca, Epicteto &c. Merces bonas esse argumento est emptorum multitudo, si sunt intelligentes. Ita Sermonem de Providentia, de Conformitate, de Resignatione, de Bona Voluntate, quæ variis nominibus eadem sunt, esse publicè privatimque utillimum, vel inde patet quod tam multi tractaverunt.

Eum igitur & nos ut Deus dederit, deducemus. Subde quæ in procemio habentur à num. 6. usque ad finem. Prætereundi enim 3. 4. 5. qui aliis diebus erunt usui.

### FERIA TERTIA.

**T**HEMA. *Gloria in excelsis Deo.* Luc. 2.

Ponendum primum fundamentum: esse Providentiam: prout habes part. 1. sect. 1. ad

NUMER-

numerum usque decimum. Cùm enim sit in superioribus numeris valdè densa materia, & operæ pretium sit eam bis tractari: reliqua commodè reservabitur ad Dominicam Adventus tertiam.

FERIA QUARTA.

THEMA idem,

Fundamentum alterum totum ex sect. 2. partis ejusdem.

FERIA QUINTA.

THEMA. *In terra pax hominibus.* Luc. 2.

Fundamentum tertium totum ut habetur sect. 3. partis ejusdem. Si tamen contingeret Adventum ita longum esse, ut materiæ non viderentur suffecturæ: commodissimè dividetur hoc Fundamentum in conciones duas, ut prima sit de cura hominum generatim, altera de cura proborum à num. II. ad finem.

DIE S. ANDREÆ.

THEMA. *Venite post me* Mat. 4. Describitur nobis hodie in Evangelio altera D. Andreæ vocatio. Prima fuit ad sequendum, hæc ad cognoscendum. Itaque tantùm habemus hîc, quomodò vitam meliorem D. Andreas incæperit. In eo tamen initio video finem optimum, significatum mysticis illis vocibus, *Venite post me*. Sicut enim cùm Christus dixit Petro ad mare

Tiberiadis, *sequere me*, intelligebat de morte Crucis, ut clarè colligitur ex Evangelio. Ita hîc, cùm dicit Andreae & Petro, utrique postmodùm Crucifixo, *Venite post me*, quidni dicatur alludere ad genus mortis suo simile? Præteritis itaque, quæcumque de vita ejus ac gestis dicuntur, laudibus, quæ à Sanctis Hippolyto, Hieronymo, Chrysoftomo, Chrysologo, Damiano &c. in illum congeruntur, dicam de morte sola. Spiritum Sanctum invocemus.

Ultimus actus præcipuè in tragœdia spectari solet, quia eò affectus maximè concurrunt: in Oratione Peroratio imprimis motum: in argumento ultima conclusio victrix est: in lite ultima probatio, seu replica, plus momenti habet quàm reliquæ: in prælio ultimus impetus est palmarius. Vita tragœdia est, oratio, argumentum, lis, prælium. Nonne talis fuit Vita D. Andreae? Ejus tragœdiæ, &c. clausula fuit mors. Sicut enim mors à Tertulliano dicitur finis omnium quæstionum: ita dici potest prælii, litis, argumenti, Orationis, tragœdiæ finis. Dignissima ergo est consideratione & attentione nostra. Gratias Sanctis D. Andreae filiis Achaiae diaconis, qui sic illam nobis expressere, & oculis subjecere: ut videamur interesse. Nôstis, & ideò non immemor, captum, productum, interrogatum, respondisse, &c. post Crucis amplexus, de illa, uti ex Cathedra, concionatum.

Quot mira in illo ultimo actu notastis?  
Tria ego: Amorem erga Eucharistiam tenerri-  
mum:

mum : Zelum animarum , qui de Crucifixo concionatorem biduo fecit : Rapit me maximè affectus erga Crucem, & in illo hæreo, ac quæro primò, Cur D. Andreas ita amârit? Secundò, Cur & nos amare debeamus?

Ethnici spectantes hanc actionem ridebant sine dubio, saltem ad primum aspectum, quod Crucem dissuaviaretur & complecteretur, sicut dementatus aliquis amore, dicens *Teneo te lumen meum*: aut sicut illa in Canticis, *Inveni quem diligit anima mea, tenebo eum, nec dimittam.* Hinc etiam vulgo Martyrium D. Andreae vocatur, Sponsalia ipsius cum Cruce. Sed quid in ea dignum amore invenis, ô Sancte? Amor enim non potest ferri nisi ad bonum: &, ut laudabilis sit, ferri debet in bonum verum, non autem imaginarium. At quod bonum invenis in illa Sponsa? Pulcritudinem alii quærunt, & vanum est: alii divitias, & hoc fluxum est: alii nobilitatem, & hoc etiam ad vanitatem accedit: alii, & sapientiùs bonos mores. An tu bonos mores quæris in Cruce? Crudelissimum est supplicium. An nobilitatem? Origo ejus supplicii est à parricidis sicariis, sceleratis. An opes? Nudus exponeris: etiam totum sanguinem prodigere cogêris pro dote. An pulcritudinem? Vile lignum est: inter sepulcreta & cadavera positum, ipsius delicatorem oculis intolerabile. Quid ergo denique amabile in Cruce Andreas apprehendit? Quatuor ista: Pulcritudinem, *Decorem*, inquit, *à membris Domini suscepisti:*  
Opes,

Opes, dedit enim cælum, *Suscipe me ab hominibus, & redde me magistro meo.* Nobilitatem à Christi Sanguine, *Qui per te me redemit:* Bonos mores, *O bona Crux, diu desiderata, &c.* Breviùs & clariùs dico: amavit Andreas crucem, quia in illa reperit omnia amoris objecta, Bonum Jucundum seu delectabile, Honestum, Utile.

Reperit bonum Jucundum, *O bona Crux,* quia plenus consolatione interiori, à Deo infusa: præterquam quòd lætitia est amoris naturaliter proportionata. D. Paullus, 2. Cor. 1. Sicut abundant passiones, ita & consolatio. Solitum id in Martyribus. Vide Vitam S. Hermlyi apud Suriium 13. Jan. S. Eleutherii 18. Apr. &c. Reperit bonum Honestum: *Qua decorem ex membris Christi suscepisti.* Quid honorificentius, quàm similem esse Regi? Quàm rependere Christo, quod dedit nobis? Animavit hæc cogitatio excelsas animas, ut dicerent cum Paulo ad Gal. 6. *Absit mihi gloriari, nisi in Cruce Domini nostri IESU Christi.* Vide præm. num. 6.

Reperit bonum Utile: *Redde me magistro.* Aspiciebat Crucem, ut tabulam naufragii, aut potius arcam: ut currum triumphalem: ut scalam Jacob. Animati illa cogitatione Martyres, ita ut nîl, quomodò loquitur Tertullianus, crux sentiret in nervo, cùm animus in cælo esset. Passim testimonia occurrunt.

En rationes, cur D. Andreas Crucem amavit. En cur desiderârit, quam aliâ minùs illustrati averfam-

averfantur. En cur quæſerit, quam alii ultrò oblatam fugiunt. En cur amplexus ſit, quam alii cùm propè ſunt, tangere nolunt. En rationes, cur Cruces noſtras amare debeamus, Ô Chriſtiani. At quas, ſi Cruci D. Andreae comparentur? Quomodò tamen illas amabo, inquis? Primò quia jucundæ erunt, ſi Deo te tradis: & ſecundùm multitudinem dolorum, conſolationes ejus lætificabunt animam tuam. Eſto hoc non ſit: reperiſ tamen bonum honeſtum, imitationem Chriſti: qua de re conſule, ſi lubet, Bernardum ſerm. de quadruplici debito. Tam potenti conſiderationi adde tertiam: per Crucem redempti, per illam in cælum debemus aſcendere. *Non contemplantibus nobis, quæ videntur &c.* Si ea, ut decet, in animum demittimus, dicemus cum Andrea, cum Xaverio, cum Martyribus, *O bona Crux &c.* Fer nos in cælum, ut Crucifixi Crucifixum laudemus.

DOMINICA SECUNDA.

THEMA. *Ioannes in Vinculis.* Matth. II.

Argumentum totum erit de cauſſis, cur Deus D. Joannem, tam innocentem virum, carcere includi & plecti à carnifice voluerit: interim dum Herodes adulter voluptatibus innatabat. Ratio prima peti poteſt ex Chriſti gloria, ad quam D. Joannes, ejus præcurſor, totus ordinabatur, velut ad finem ſuum: præcucurrerat eum vitâ, præcurrat & morte: Sole adveniente, ſtella:

stella decedat. Altera, ex ipsius Joannis gloria: nihil enim honorificentius homini probo potest accidere, quàm pro Deo, pro virtute, pro veritate pati, & mori. *Vobis datum est, non tantum ut in eum credatis, sed etiam, ut pro ipso patiamini.* Tertia ratio petenda ex bono nostro: ut, præter plurima alia exempla, etiam Joannis passione doceamur, Bonis mala accidere solere. Cur id fit? Multa in eam rem tradit Seneca libro de Providentia, & omnino Christianè: aliunde etiam materia non difficulter peti potest. Nos hanc concionem extendimus Excursu 3. sect. 2. ad cap. 2. Machab.

FERIIS HEBDOMADÆ SECUNDÆ.

A D V E N T U S.

**S**I Fundamenta Bonæ Voluntatis pertractata fuerint, transibitur ad Officia eo omninò ordine ac modo, quo habentur in Parte secunda. Si tamen superfuturi dies videbuntur vel hac hebdomada, vel sequenti, dividi poterit Sectio I. partis 2. in Conciones duas: ut in prima agatur de malis, quæ nobis à Deo immediatè eveniunt; in altera, de evenientibus à Deo mediatè, per malam hominem voluntatem.

Thema istis concionibus unicum erit, *In terrâ pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

**T**HEMA. *Euge serve bone, & fidelis, quia in  
pauca fuisti fidelis supra multa te constituam.*  
Matth. 25.

Sive festum ex consuetudine fiat: sive non observetur ex Bulla Urbani VIII. tamen, quia iste Sanctus Dei est percelebris in ejus Ecclesia, poterit pro arbitrio Concionatoris haberi de eo Sermo, conveniens materiae de Providentia. Post narratum Evangelium, & Spiritus Sancti gratiam imploratam ingressus sic fiet.

Quid nomine Talentorum intelligatur hodie in Evangelio, non ita clarum est, ut alii aliter non sentiant. Ego illis sententiis omissis existimârim significari dona Dei, seu supernaturalia, seu naturalia; sive externa, sive interna; sive spiritualia, sive corporalia: omnia denique: nam omnia data sunt nobis ad cælum comparandum, & negotiandum pro æternitate. Si quidem nobis dictum est, *qualescumque simus, Negotiamini, dum venio*: & quidquid nobis Deus donavit, media sunt ad gloriam ejus, ac salutem nostram procurandam, qui fines nostri sunt. Super hac explicatione ponamus quæstiones duas. Primam, Cur tanta sit diversitas talentorum, donorumve Dei, inter homines, præsertim inter Christianos, qui ejusdem fidei & Domini sunt? Secundam, Cur diversitas donorum tanta sit in unico homine, tamquam in S. Nicolao, pro varietate ætatum, temporum, aliarumve conditionum?

Describit



Describit Psalmista ps. 44. Ecclesiam, ut multi interpretantur, his verbis: *Astitit Regina à dextris tuis, in vestitu deaurato, circumdata varietate.* Et verò benè Regina dicitur, Regi summo desponsa, & conjuncta. Benè à dextris, quam protegit brachium Domini usque ad consummationem sæculi. Benè in vestitu deaurato, quia aurum Caritatis nota est Christianitatis. Benè circumdata varietate, ob mirabiles diversitates graduum, ordinum, conditionum, statuum qui sunt in Ecclesia. Adde gratias gratis datas: ut quidam sint Doctores, alii Prophetæ &c. quidam omnes fermè simul gratias habeant, quomodò S. Nicolaus, qui Virgo fuit, Episcopus, Doctor, spiritu prophetiæ pol- lens, gratia sanitarum & miraculorum eximius, Martyris instar & Apostoli. Certè statim post Apostolos nominatur à S. Chrysostomo in Liturgia sua. Quid si addamus huic varietati diversitatem complexionum, ex quatuor humoribus inter se inæqualiter permistis? Quid si gradus ingeniorum, & propensionum consideremus? Quid si interiùs in animam ad dona gratiæ penetremus? Meritò igitur quærimus, cur tanta diversitas? Cur non æqualiter omnibus dona sua Deus dispertiat? Scio responderi posse præcisè ex Evangelio: Deum talenta partitum. *Unicuique secundum propriam virtutem, id est secundum vires, capacitatem, dispositionem.* Sed responsio ista quæstioni non satisfacit. Mox enim ulteriùs quæretur: Cur ista vi-  
rium,

num, capacitatis, dispositionis diversitas?

Peto vicissim, cur tantam in aspectabili mundo, & rebus infra hominem positis, creator varietatem esse voluerit? In cælis quàm admirabilis stellarum in cursu, magnitudinæ, situ, influxibus, inæqualitas? Quanta in elementis compugnantia? Herbarum & plantarum speciebus libri magni impleti sunt. Descriptiones lapidum omnigenorum, & fossilium, volumina implevêre. Volucrum viginti species supra centum Aldrovandus numerat: Quadrupedum ducentas Gesnerus: reptilium & insectorum pauciores non sunt: plures multò piscium, quorum ingenia terrestribus animalibus exæquavit Plutarchus, numerum multi præponunt avium & quadrupedum simul sumptorum numero. Si rationem tot inter creata specierum à te postulem, respondebis, opinor, ex D. Thoma lib 3. contra Gentes cap. 97. factum id à Deo ad gloriæ suæ & magnitudinis manifestationem. Tantus erat creator, ut non satis unâ atque alterâ creaturâ ipsius imago exhiberi posset: Cælorum itaque vastitas ejus immensitatem, Sol pulcritudinem, Ignis activitatem, Aër intimam præsentiam & communicabilitatem, Terra immutabilitatem, Mistra suis singula compositionibus Potentiam, Bonitatem, Sapientiam repræsentent. Ratio altera sit, ad ornatum Universi. Monochromæ picturæ non ita delectant, quàm diversi colores: neque unius vocis sine inflexione ductus æquè auribus placet, ac permutatio

tatio

tatio unius vel plurium inter se. Eodem modo  
 tatiocinare de pictura, & musica **Universi**. Ra-  
 tio tertia petitur, ex mutua utilitate: Sole stel-  
 læ egent ad lumen: his sublunaria ob influxum:  
 elementis mista: insectis aves pleræque ad ali-  
 menta, plantis quadrupedes, omnibus homi-  
 nes.

Transferamus hæc varietatis in natura caus-  
 fas, ad varietatem statuum & gratiarum in  
 Ecclesia Dei. Repræsentandæ erant variis ima-  
 ginibus variæ perfectiones Dei. Pontifices ma-  
 jestatem repræsentent, Reges dominium, Do-  
 ctiores sapientiam, Ambrosium fortitudinem,  
 Nicolaus liberalitatem, Xaverius caritatem, alii  
 Divorum alia: eorum visis virtutibus, laudent  
 Christiani Deum, diversimodè gloriosum in  
 Sanctis suis. Pulcra esse debuit Ecclesia Dei:  
 est aula ipsius: est Paradisus terrestris & hortus  
 deliciarum. In aula regia, non una aut paucæ  
 res sunt spectabiles. In horto nisi areolarum, se-  
 pium, viarum sit jucunda varietas, quis allicie-  
 tur ad spectandum? Adde utilitatem mutua-  
 m. Si omnes sint divites, quis serviet, quis artes co-  
 let? Si omnes pauperes, quis juvabit? Si om-  
 nes æquè sapientes, quis volet regi? Si idiotæ  
 omnes, quis reget? Si omnes sint Sancti, ubi  
 patiendi & caritatis exercendæ materiæ? Si San-  
 cti nulli emineant in virtutibus quibusdam, ubi  
 spectabuntur exempla? Apoc. cap 12. describi-  
 tur mulier, id est Ecclesia, *amicta Sole*: significa-  
 tur dignitates, illustres gradus in Ecclesia.

*Luna*

*Luna sub pedibus ejus*: qui in nocte persecutio-  
num, tenebris calamitatum, lumen suum fu-  
derunt Martyres. *In capite ejus corona stellarum  
duodecim*: Doctores, qui enim docti fuerint  
sicut stellæ in perpetuas æternitates, Dantur  
*ala mulieri*, id est viri Apostolici, qui ad propa-  
gandam fidem excurrunt. Denique *terra adju-  
vit mulierem*, id est homines idiotæ & artifices  
juverunt Ecclesiam, & aliquando constantiâ suâ  
in fide, & virtute magis quàm docti. Quisque  
in statu suo utilis est Ecclesiæ: uti stellæ singulæ  
in custodiis suis. Et verò non est opus alto  
statu, ut quis benè se gerat. Tempore Domi-  
tiani & Neronis erant multi cerdones, qui meliùs  
Imperatorem egissent, quàm ipsi. Sed Deo sa-  
tis erat, si benè cerdonem agerent. Deus non  
attendit in quamateria opereris, sed quàm benè.  
Sculptor aliquis in buxo meliùs laborat, quàm  
alius in ebore: aurifaber hic plus in ære placet,  
quàm alter in auro. Ita in statuum & virtutum  
exercitio accidit, ut dicemus etiam postmodùm.

Antè enim solvenda est altera quæstio: cur  
Deus non tantùm aliis det alias gratias, sed etiam  
uni eidemque homini diversas. Unum talen-  
dum largitur Nicolao, cùm puer esset: duo ju-  
veni: quinque p̄vecto: Cur non quinque  
ab initio? Hic optimè quadrat responsum  
Evangelii, *Unicuique secundum propriam vir-  
tutem*, id est secundum statum ejus, & disposi-  
tionem, quam de se affert, voluntatem gratis  
aptando. Habes liquorem aliquem pretiosum.  
ante.

antequam phialæ infundas, eam digito exploras, & auri admoves, ut percipias an sonet integram vel fractam. Perfluat anima hominis, & gratiæ liquorem in Sacramētis infusum statim amittat, frangaturque prima occasione peccandi. Deúsne facile alias gratias infundet tam fragili? Maneamus in Christi similitudine. Mercator seruo non statim credit ingentem summam, experitur prius in parva: Si super pauca fuit fidelis, supra multa constituetur, & quasi anima heri fiet. Ita Josepho accidit Gen. cap. 39.

Ita & Sancto Nicolao. Puer sortitur animam bonam, indolem aptam virtuti: en talentum unum. Benè uso dantur talenta duo, Sacerdotium, & paternæ divitiæ. Etiam illis benè utenti dantur, cum Episcopatu, quinque: Gratiæ, Naturæ, Scientiæ, Potestatis, Opum, de quibus consule, si lubet, Salmeronem tract. 39. tomi 10. Usus etiam talentorum ex actis S. Nicolai facile extendes.

Ad nos redeamus, & documenta duo eliciamus. Primum pro iis, qui multa talenta acceperunt à Deo: alterum pro iis, qui pauca. Habes, Christiane, multa à Deo beneficia: fac ne glorieris: fac benè utaris. Mendicum de stipe accepta insolescere quis ferat: quis mancipium de re non sua, sed domini? Præterea laus non est multum accepisse, sed benè usum esse: non sola sunt peccata commissionis, verum & omissionis, & cui plus datum est, plus repetetur ab eo. Tu verò pauca talenta habes, duo aut unum.

Cave

Cave invidias, cave abjicias animum, cave conqueraris. Tam qui duo acceperat audivit, *Enge serve bone*, quàm qui quinque. In negotiatione quotidie videmus, industrium hominem plus paucis lucrari, quàm multis alium: ita & in negotiatione spiritali accidit. Nam facienti quod in se est, Deus non denegat gratiam amplio-rem, & amplio-rem. Utere itaque rectè talento tuo, neque in terram defodias, sed, ut ait Greg. hom. 31. *Cor à terrenis cogitationibus leves.*

## DIE CONCEPTIONIS

## D. VIRGINIS.

**T**HEMA. *Fundamenta ejus in montibus sanctis.* Ps. 86.

Sensus literalis planus est. Applicant D. Virgini Athanasius, Augustinus, Ildefonsus, Bernardus &c. Et quod pluris facio Ecclesia &c. Eum sensum sequemur. Sed ipsius oratio, ad gratiam Spiritus Sancti implorandam, sit hujus Sermonis, ut & cæterorum, fundamentum.

**A**V B.

D. Petrus, cujus conversionis fundamentum, D. Virginis precibus ac lacrymis, secundum Christi gratiam, à multis tribuitur: 1 cap. 2. vult omnes Dei servos esse architectos: *Sisper- adificamini domus spiritalis*, & quidem *cujus culmen pertingat ad calum*: Sapienter, non stultè, ut Gen. cap. 11. O quale ædificium hodie nobis

nobis proponitur pro exemplari? *Neque enim homini preparatur habitatio, sed Deo.* Tam excelsi ædificii fundamenta benè substructa esse oportet. Quæ illa sint, videamus.

Audistis hodie genealogiam: quam nobilem, priscam, sanctam in multis? En orituræ D. Matris fundamenta. Parum hoc inquit; ergo alia longè firmiora, qui montes ærei vocantur apud Zachariam cap. 6. sunt divinæ Providentiæ & prædestinationis æternæ decreta de Conceptione D. Virginis immaculata. Hic recense seriem decretorum. En ergo fundamenta in montibus sanctis, id est sanctissimus divinitatis decretis. Ex ea explicatione sequitur tertia: Fundamenta D. Virginis, id est Conceptionem, non tantum immaculata fuisse, sed etiam gratiis & actibus virtutum elevata super montes sanctos, id est supra merita omnium Sanctorum.

Non ita de Matre nostra dicamus, ut nostri sumus immemores. Nonne & nos habitacula sumus divinitatis? Ubi ergo fundamenta nostra? In montibus sanctis, inquires, id est in Ecclesia, & in sanctorum doctrina, quorum filii sumus. At quàm multi in Ecclesia non domos Dei posuere, sed habitacula draconum? Aliud ergo etiam fundamentum quærendum est, Christus & ejus gratia, ac prædestinatio in ipso. Unde sciam? Utinam tam fælix sim! Vide utrum domus tua sit D. Virgini innixa, Christo pariter innitetur. Non videtis post Christum D. Virginis cultum esse pro fundamento domibus omnibus

omnibus religiosis? Recensitu faciles sunt. Nonne familiis omnibus præcipuis? Nonne domibus omnibus privatis? Ubi fundamenta vitæ nostræ, à matribus nostris D. Virgini commendatæ, quando primùm concepti fuimus? Ubi fundamenta infantia? Ubi annorum: ubi dierum singulorum, nonne à D.V. invocatione? O Virgo, *Gloriosa dicta sunt de te in Ecclesia: memor esto etiam Rahab: & fac ut omnium nostrum de tua Conceptione, & beatâ nostrâ spe latantium, sit habitatio in te.*

## DOMINICA III. ADVENTUS.

**T**HEMA. *Vox clamantis.* Joan. I.

Recitato Evangelio, & post Angelicam Salutationem.

Obvium cuique est, quo sensu Joannes potuerit dicere se vocem clamantis. Erat vox Verbi Divini: Vox gratiæ: Vox boni exempli: Vox clamans, ut singuli secundùm statum suum viverent &c. O vocem argenteam, claram, penetrantem, non aures, sed corda! O si tales modo voces audiremus? Quid, quæso faceretur? Pœniteret vos peccatorum? Restitueretur ablata? Deo in omnibus obediretis? Contenti essetis stipendiis donorum, & beneficiorum, quæ dat Deus singulis prout vult? Hæccine faceretur, si una vobis insonaret vox clamantis Joannis? Atqui non unam quotidie, sed centena millia auditis: totidem, quot sunt  
 O creatu-



creaturæ. Estné creatura ulla, quæ non fit vox Verbi, per Verbum facta, ad Verbum ut finem? Estné ulla, quæ non possit sano sensu appellari Joannes, id est Gratia Dei? Tum quia gratiâ Dei est, id quod est: tum quia in hominis gratiam producta, qui ideò ultimo loco productus est, ut in mundum induceretur, velut convivæ aut spectatores ad convivium & ludum antè præparatum, ut advertit Philo libro de mundi opificio. Estné creatura, quæ nobis non inclamet verba Bernardi, *Accipe* seu utere, *Redde* gratias Deo, *cave* abutaris: tria puncta, & unum exemplum? Estné ulla, quæ nobis facturâ suâ, & exemplo, non commendet illa, quò Sermones Joannis omnes spectabant, à Deo regi omnia, & nos ab eodem regi debere? Audivimus quidem eas voces, cùm primùm tractatûs hujus fundamentum jaceremus: vociferati sunt nobis simul tres mundi: Sed nunc exactiùs & distinctiùs iisdem auscultemus. Pertexantur cætera sectionis I. in parte I. à numero 10. ad finem usque.

### FERIIS HEBDOMADÆ III.

**Q**UOD supererit Officium Bonæ Voluntatis, absolvatur: Dein transeat ad Adjumenta, quo ordine ac modo exposita sunt. Thema pro primo erit, *Gloria in excelsis Deo*: itidem pro secundo, quia ex comparatione Providentiæ humanæ, magis elucet gloria Divinæ.  
Pro

Pro tertio thema erit, *In terra pax hominibus bonæ voluntatis*: à contrario enim in terra infælicitas, & inquietudo, hominibus malæ voluntatis. Si videatur diei alicui de futurum suum argumentum: ex primo Adjumento, ubi materia valde luculenta est, commodissimè fient conciones duæ.

DOMINICA III. ADVENTUS.

THEMA. *Parate viam Domini.* Luc. 3.

Post enarrationem Evangelii, & Salutationem Angelicam.

Verba quibus Joannes usus, & quæ singulis Aduentûs diebus, jam autem præcipuè, Ecclesia usurpat, nihil aliud significant, si in litera hæremus, quàm disponite vos ad excipiendum Salvatorem, seu, ut loquitur Gregorius lib 19. Mor. cap. 3. *In corde vestro venienti sapientia aditum reperate.* Nihilominus Interpretes varii varia congestère: nemo nitidius quàm Ambrosius serm. 65. *Videamus ipse Ioannes, qui parare viam Domino jubet, quam ipse paraverit Salvatori. Per omnia planè adveniente Christo tramitem vita sua composuit, & direxit.* Via ergo est vita nostra. Cui Ambrosii explicationi filius ejus spiritalis videtur consonare, lib. de Eccl. Cath. moribus cap. 7. *Vera religionis fide præceptisque servatis, non deseramus viam, quam nobis Deus, & Patriarcharum segregacione, & Legis vinculo, & Prophetarum præfagio, & suscepti hominis Sacramento, & Apostolorum testi-*

*testimonio, & Martyrum Sanguine, & Gentium occupatione munivit.* Sanctorum istorum Doctorum exemplo dicamus, Viam Domini non aliam esse, quàm Bonæ Voluntatis: per illam ad nos Dominus venit, per illam debemus ire ad Dominum: neque ullam inueniemus meliorem, quocumque nos vertamus. Via, opinor, ut optima sit, Recta imprimis esse debet: Plana: Nitida: Clara.

*Est via quæ videtur homini recta, & novissima ejus ducunt ad mortem, quando sese vult regere. In circuitu enim ambulat, & ad se semper reflectitur, id est ad malum. Contra, Iustum deduxit Dominus per vias rectas, quantumvis obliquæ videantur eminè aspicientibus. Non jam Josephum, Abrahamum, Moſen ostendo: illum exulem, istum peregrinum, hunc errantem. Joannem considera qui parari viam jubet, quâ ipse viâ incesſerit, quàm rectâ, quàm citò pervenerit, quia Dei voluntate ambulavit; à parentibus semotus, quos amabat; à Christo ipso absens, quem unicè anhelabat. Si austeritatem Joannis istius horres, contemplare viam Domini nascentis in Bethleem, euntis in Ægyptum, revertentis in Nazareth, &c. ascendentis in Crucem: ambages istæ putentur, si oculi fidei desint: at oculatis nihil apparet rectius. Omnia enim exacta sunt ad ipsam rectitudinem, Dei voluntatem. Quid fecit Christus? Quod Pater voluit. Quid passus est? Quod Pater voluit. Interroga nascentem, cur hic, sic, jam, &c.*  
 Respon-

Respondēbit, *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, &c.* Cur cum Samaritana agat, &c. sciscitare: dicet, *Meus cibus est, ut faciam voluntatem, &c.* Cur omis- sis doctis pauperes elegerit: *Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Quæ verba in horto audis? Quid sibi vult istud, *Consummatum est. &c.* Pater in manus, &c?

Incessit ante nos Christus eâ viâ, & quidquid asperum erat, exemplis suis complanavit. Quamquam quid asperum potest esse, ubi est Dei voluntas? Nihil enim illi resistit: nec voluntati ejus, qui vult quod vult Deus. Nec montes occurrunt temeritatis præfidentis: nec valles depressæ & abjectæ pusillanimitatis. Qui non plus vult, quàm Deus expetit, non plus vult quàm debet. Qui patitur quod Deus vult, numquam patietur supra id quod poterit, quia Deus faciet cum tentatione proventum: & ubi plus periculi, ibi plus auxilii, ut dicit Ambrosius, &c.

Nitidissimam esse viam necesse est, cùm ipsi placeat Puritati. Nihil magis à præteritis peccatis expurgat, quàm voluntas Deo subjecta: bonum latronem intuere, &c. Nihil magis præsentia impedit, & futura prævenit: ut de se Gregorius Lopez, celebris in Mexicano regno anachoreta, non pridem mortuus, testatus est, eo exercitio maximas sese tentationes evasisse. Dicebat enim ferè continenter, *Domine fiat voluntas tua.* Longè frequentius, quàm D. Gertrudis,

rudis, cui solemne trecenties ea verba quoti-  
die pronuntiare.

Clarius autem illâ viâ quid est, quam Claritas  
domini circumfulsit, Sol in nocte ortus? Cùm  
audimus gentem esse, ubi nox annum me-  
dium durat, quàm tristis imago nobis videtur?  
Triduum unum noctis perpetuæ tristissimum  
fuit Ægyptiis. Ita sunt qui sese regere volunt. In  
tenebris ambulant, nesciunt quò vadant, pal-  
pant etiam in meridie: cæci seipsoſ cæcos du-  
sentes, &, ut Bernardus loquebatur, stulto se  
discipulos tradentes. Deo laus, *nox precessit,  
dies appropinquavit.* Luminosissima est via Re-  
gia sanctæ Crucis, quia Regia. Rege per tene-  
bras incedente, ubique accenduntur funalia:  
Christo per viam Crucis incedente, arserunt  
piorum corda, & totam illam semitam ita illu-  
minaverunt, ut quamvis Christi exemplum  
deesset, à Sanctorum tamen ipsum sequentium  
exemplis dicere posset verissimè, *Qui sequitur  
me, non ambulat in tenebris.* Sol lucet, Luna  
lucet, stellæ lucent: undique dies oculis inge-  
ritur. Ambulemus in lumine Dei nostri.  
O Christe rectitudo ipsa deduc nos: Æquali-  
tas complana nos: Puritas expurga nos: Lux  
illumina nos.

#### FERIIS HEBDOMADÆ IIII.

**T**Ractentur Fructus bonæ voluntatis. Pro  
primo thema sit *Gloria in excelsis Deo*: pro  
aliis

alijs duobus, *In terra pax hominibus bona voluntatis.* Epilogus quartam Concionem faciet, præfixo utroque themate: neque omittendus videtur, etsi Adventus brevior esset: potius contrahendæ forent aliæ Conciones.

DIE S. THOMÆ.

**T**HEMA. *Thomas, unus de duodecim, qui dicitur Didymus.* Joan. 20.

Thomæ nomen duo significat, Abyssus, & Geminus. Ex hoc Evangelio verè fuit Abyssus D. Thomas, & quidem duplex, miseræ & misericordiæ: abyssus abyssum invocavit. Fuit geminus facie duplici, unâ horrendâ peccatoris, aliâ pulcerrimâ poenitentis & Justi. Vtramque intueamur: illam pinxit liberum arbitrium, hanc gratia, quam imploremus. A V E.

Ex frequentissimis pariter & maximis Providentiæ divinæ miraculis, est rerum compositio ex contrariis, & vicissitudo perpetua. Siracides cap. 33. *Duo contra duo, unum contra unum.* Intuere mundum magnum, tempestates annuas, elementorum pugnas, lucis & tenebrarum alternationem. Intuere mundum politicum; nunc pacem, nunc bellum; nunc prosperitatem, nunc adversitatem; nunc ortus regnorum, nunc interitus. Intuere mundum parvum, id est hominem, quæ pugna in humoribus, quæ varietas in ætatibus, quæ in membris sanitateque mutatio? Quid autem si interiorem hominem inspicias;

nunc bonum, nunc malum; nunc in caelos erectum, nunc in terra repentem; nunc totum Dei, nunc totum sui; nunc peccatorem, nunc justum? Neque in hominibus tantum idiotis tales mutationes permisit Deus, sed etiam in columnis caeli, in Apostolis suis, ut si quando, quod absit, fragilitas nostra ad malum nos trahat, animum non despondeamus, neque obstupescamus, tamquam ad rem insolitam.

Thomas ille tam generosus, ut mortem cum Christo, & pro Christo, provocaret, *Eamus & nos, & moriamur cum eo*: ille talis ante Christi mortem, quò devenit post mortem? Ad abyssum & fundum peccati. Unde tamen mox ad altissimum sanctimoniae culmen surrexit, gratia Christi resuscitati. Dubitari non debet, quin peccatum D. Thomae fuerit Infidelitas & quidem positiva. Varia enim sunt Infidelitatis genera, & species &c. Non dubitavit Augustinus serm. 59. *Dum curiosus existit in vulnere, mortem incurrit in fide*. Ea infidelitas fuit Hæresis, cum pertinacia. Accessit Superbia, quod alios præ se contemneret: Præsumptio, quod vellet tangere Christum, & pro se fieri miraculum: Obduratio ad tot dies, & tot sine dubio Apostolorum obtestationes. Causæ istorum peccatorum fuerunt, Absentia à bono consortio, alia Infidelitas, Passio vehemens. Hæc facile extendentur, tum ex rei ipsius natura, tum ex Interpretibus, præsertim Toletio.

En Thomam valdè malo loco: nunquam  
forfan

forfan tam malo ipsum vidistis. Sed manete tantisper, & miraculum misericordiae intuemini. Venit Christus, fornacem amoris gestans in pectore, ut expellat frigus omne peccati &c. Compensat Thomas Fide Infidelitatem, *Deus meus* &c. adeo ut proponatur ab Ecclesia pro exemplo fidei in Collecta hodierna. Constantia succedit pertinaciae, in tot Apostolicae vitae malis patiens &c. Humilitas contundit superbiam, placet ipsi ut peccata sua publicentur. Praesumptionem vera spes expellit, inde miracula. Obdurationi longae opponitur diuturna per Indias peregrinatio cum laboribus.

Habemus timendi materiam in D. Thoma, talis &c. Multo majorem sperandi: clamat nobis idem, quod D. Paullus, *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus &c.* Quid duos numeramus, cum sint innumeri? Dicimus, Judicium extremum esse Theatrum divinae Justitiae. Mihi videtur, non minus esse Theatrum Misericordiae. Fingamus nos ibi esse, nec jam in turba eorum, qui a dextris sunt, haereamus; sed eos intueamur, qui sedent super sedes duodecim? Quinam illi fuerunt? Spero, Christe, per suavem & fortem tuam gratiam fore, ut, una cum illis, providentiae tuae mirabilia, & misericordias tuas, in aeternum cantem.



## NATALI CHRISTI.

**T**HEMA. *Pax hominibus.* Luc. 2.

Totus sermo erit de quadruplici pace, per Christum nascentem hominibus oblata. Parvulus noster Samuel, postulatus tot votis à Deo, & concessus, ingreditur in Bethleem: pacificus est eius ingressus. Pacem primam offert, concordiam voluntatum divinæ & humanæ, quæ, antè inter se discordes, jam in una persona mirè conveniunt, & Deus est in Christo mundum reconcilians sibi, ei que pacem ultro accini jubens per Angelos suos. Altera est tranquilla libertas à iugo peccati, sub quo nos vetusta servitus tenebat. Tertia, est ordinatus rerum appetitus: docet enim nativitatis suæ circumstantiis temporalia contemnere, quibus bella & turbæ in animis hominum cieri solent. Quarta, est affluentia bonorum omnium spiritualium, quæ nobis dives cæli negotiator datum venit paupertate sua. Concludi poterit adhortatione ad caritatem, & concordiam mutuam, in die pacis: cum enim *Natalis Christi*, ut ait D. Leo, sit *natalis pacis*, fideles offerre ipsi debent *pacificorum concordiam filiorum*. Argumentum hoc tractamus fusè Excursu ad cap. 13. Mach. sect. 6.

## DIE S. STEPHANI.

**T**HEMA. *In terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Luc. 2.

Ante

Ante Salutationem Angelicam, quærat, cur festum Sancti Stephani fiat statim post Natalem? Vide Baronium in Martyrologio, & Concionem S. Fulgentii: Subde pro ultima ratione, quia verè fuit homo bonæ voluntatis, cui Nativitas Christi pacem attulit, & spiritalem Nativitatem. AVE.

Heri diximus de quatuor significationibus Pacis: de particula autem ista, Bonæ Voluntatis nihil. Variæ sunt explicationes: quidam legunt Bona Voluntas: alii dicunt Bonæ voluntatis referri ad Pacem: alii & communiter referunt ad Homines, & hi dupliciter explicant, pax hominibus quibus benè vult Deus, aut qui benè volunt, suam voluntatem dirigendo ad Deum. Consule Interpretes. Ostendemus utroque modo D. Stephanum fuisse Hominem Bonæ Voluntatis, & meritò illi Pacem nuntiatam. Benè Deum voluisse Stephano, colliges ex prærogativis, quas congerunt varii. Electus è primis discipulis, forsan è 72. Diaconus. Primus Diaconus sive Archidiaconus. Inde Spiritus Sancti gratia aucta. Miracula patrata. Prædestinatus ut esset Protomartyr. Spectante, juvante, pugnante pro ipso Christo.

Bonæ Voluntati Dei respondit ipse bona sua voluntate. Voluit quod Deus: *Intendens incalum vidit gloriam Dei*, & salutem hominum, nil aliud respexit. Considera in Concilio. Vult Deus patientiam, & ut mala toleremus, etiam per hominum malam voluntatem accidentia:

vult Stephanus, audi orantem, imitatur Christum, secuti alii.

In terra Pax homini bonæ voluntatis. Vis Stephane quod Deus vult; vult ipse quod vis, te salvare. Libertatem habebis, effereris supra minas, calcabis mortem ipsam. Appetitus erit tranquillissimus, faciesque Angelica vultum animi sereni testabitur. Affluet tibi abundantia bonorum omnium, cum vita æterna: *Finis enim hujus civitatis Jerusalem apud Aug. 19. de Civ. cap. 11. vel pax in vita aterna, vel vita aterna in pace dicendus est.* Ad eandem coronam cum Stephano enitamur, iisdem gradibus voluntatis.

### DIE S. JOANNIS.

**T**HEMA idem.

Apud homines magni fit iste titulus Homo boni iudicii, sensus, ingenii, conversationis &c. Quid autem ista sine bona voluntate? Facit voluntas bonum: intellectus doctum. Amisit diabolus bonam voluntatem, non bonum intellectum, & tamen diabolus est, &c. Exemplum bonæ voluntatis in D. Joanne. D. Virgo mater Christi & Joannis. AVE.

Ingressus fit ex D. Thoma p. 1. q. 20. a. 1. *Virum amor sit in Deo: tum a. 2. Virum omnia amet; & quomodo aliter quam nos: denique ex a. 4. in corpore, quid sit Deo magis diligere, scilicet majus bonum velle. Unde colligo clarè,*  
cum

cùm Deus singulariter Sanctum Joannem dilexerit, plurima ipsi bona contulisse. Prærogativas Joannis congeres huc, si placuerit. Ego contentus essem duabus: Virginitate corporis eximia, ita ut ne D. Virginem quidem umquam dicatur fixè intuitus: Virginitate animi, ut putetur numquam mortaliter peccasse, discipulus ille non moritur, & quod de D. Matre Ambrosius, *Virgo erat non solum corpore, sed etiam mente.* Nec mirum cùm Caritas tanta esset in ejus corde, quæ eum faciebat hominem perfectissimæ voluntatis. Vide ejus epistolas Canonicas. Audi perpetuum de Caritate monitum cùm esset Senex. Attende quid fecerit pro adolescente sicario. Tam bona voluntas sine pace esse non poterat: hinc illa animi compositio, vultus æquabilis, libertas à passionibus &c.

## DIE SANCTORUM INNOCENTIUM.

THEMA idem.

Apud S. Thomam 2. 2. q. 124. art. 1. ad 1. dixerunt aliqui Innocentes Martyres fuisse homines bonæ voluntatis activæ. Fuisse eis acceleratum usum rationis &c. Sed certum est fuisse tantum Bonæ Voluntatis passivæ. AVE.

In tragœdia hodierna actores duo sunt præcipui: occultus unus, alter apertus. Hic est Herodes Ascalonita, qualis vir? Alter, est Deus, sine quo Herodes nil agere potuit, &c. & à quo ad bonum directa mala. Illius Injustam  
crudeli-

crudelitatem videbimus: hujus ex illa Justam bonitatem, tam malo instrumento, tam misericorditer utentis.

Injustitiam Herodis aliqui voluerunt minuire, quod parentibus non invitis cædem patrârit; ideo non videri patres restitisse, tantum audiri luctum Rachel, id est matrum: imò ad inducendos parentes, occisum ab eo suum filium. Excusatio calva, sine causâ, innoxios, pueros, in quos jus mortis patres non habent, occidere quæ liceat? Sed esto Injustitia tanta non sit: quis tamen Nero, Tamirlanes, Barbarus non odio sit, si in eos annos sæviat? Adde tanto numero: eodem tempore; cum Pharao tolleret unum post alium, prout nascebantur: causam, ex ambitione: finem, ut Messiam tolleret,

Relinquamus Monstrum istud, Dei Justitiam & Bonitatem attendamus. De Justitia antiqui aliqui videntur laborasse: ideoque dixisse, vel ob peccata futura, vel ob præsentia, permissam à Deo cædem infantium. Effugia ista nolumus, cum pateat Justitia Dei: primò, quòd sit Dominus vitæ: fructus immaturos decerpit hortulanus, &c. Secundò, Ob causam superiorem, & magis ad bonum commune spectantem, inferior & minus utilis corrumpitur. Tertiò, peccata parentum puniuntur, qui Christum & Mariam non exceperunt in diversorio, & turbati sunt cum Herode. Ita primogeniti in Ægypto occisi propter Patres. Quartò, parvum malum compensatur maximo bono, titulo & honore Martyrii.

Martyrii. Quid de ista re Patres dicant, quid Ecclesia. Martyres etiam in utero matrum erunt infantes nondum nati, si commoriantur matribus in fidei causa. Ab Herode discamus, imperare affectui erga res temporales. Effrænis abripit hominem, & præcipitat paullatim ad imavitorum. Neque ambitio solum, sed avaritia, sed luxuria: numquam dicunt, sufficit.

A Deo discamus, omnia in bonum convertere. *Diligentibus Deum*, ut ait Rom. 8. Paulus, *omnia cooperantur in bonum*. Bonis spiritualibus, ad profectum utantur: bonis temporalibus, ad caritatem: malis spiritualibus, ad humilitatem: malis temporalibus, ad patientiam & augmentum virtutum omnium.

DOMINICA INTRA OCTAVAM  
NATIVITATIS.

THEMA. *Ecce hic positus est in ruinam, & in Resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur.* Luc. 2.

Legitur hoc Evangelium in Octava Nativitatis. 1. Quia de infantia Salvatoris agit. 2. Quia quomodo dicitur D. V. conservasse omnia verba pastorum, ita & hic Simeonis. 3. Quia Simeon divinum horoscopum facit de Christo infante, ipsique eventuris: Explicabimus. AVE.

D. Augustinus, diversos in igne damnatorum effectus considerans, lib. 21. de Civ. cap. 4. ostendit eandem effectuum diversitatem naturaliter

raliter esse in palea, & in igne. Consule eum locum. Christus recens natus Ignis est divinus, & quidem jacens in Palea, & quasi Palea ipsemet repositus in præsepio. Effectus varios ejus ignis, & Paleæ, insignis Philosophus Simeon demonstrat, *Ecce, &c.* Quomodo in ruinam, quo nascente canitur Pax? Quomodo verò in Resurrectionem, si in ruinam? Quomodo signum cui contradicetur, quem omnes amare deberent, gloriamque ac pacem cum Angelis accinere? Difficultates enodemus.

Apud Toletum, Salmeronem, Maldonatum, aliosque, abundè invenies, quibus sententiis possit dici venisse Christus in ruinam. Deinde quibus etiam in Resurrectionem. Denique, quomodo in signum cui contradicetur, id est scopum jaculatoribus propositum: qua de re insignis est Origenis sententia, quomodo in omnibus Christo contradictum sit. Præcipuè tamen in Passione *sustinuit talem adversus semetipsum à peccatoribus contradictionem.* Imò & religioni ipsius contradictum, & modò &c.

Ex illis Concludamus, primò, Zelum nobis esse debere defendendi Christi adversus contradictores. Opprobria exprobrantium ipsi cadant super nos: *Bonum nobis, si nobis dignetur uti pro clypeo,* ut dicebat Bernardus. Secundò, si alii in ipsum jaculentur, ut scopum suæ aversionis: nos in illum omnes actiones nostras, & affectus dirigamus, velut scopum, nostræ bonæ voluntatis. Ipse est  $\alpha$  &  $\omega$  principium & finis.

EX

Ex ipsius gratia orta bona voluntas, ad eum revertatur, ut iterum fluat. Ita nobis erit Christus non in ruinam, sed in Resurrectionem.

## DIE S. SILVESTRI.

**T**H E M A. *Beati servi illi, quos cum venerit Dominus invenerit vigilantes. Luc. 12.*

Parabolas binas exhibet Evangelium, eodem fine utramque, ut doceamur esse parati ad mortem. Nescimus certè an sequentem annum, etsi tantillo tempore à nobis distet, visuri simus. Opto tamen in antecessum cum votis optimis, &c. Videmus fuisse vigilantem S. Silvestrum.

## A V E.

Si quæ res est, in qua debemus esse Resignati. Indifferentes, Fiducia pleri, quæ Officia numeravimus bonæ voluntatis, ea est mors nostra, quam nescimus quando Deus nobis assignârit. Pendeamus igitur in futurum à Dei voluntate; qui vitæ nostræ posuit terminos, qui præteriri non poterunt; permittamus nos ejus Providentiæ, & resignemus, quando nos mori volet: & ut facilius utrumque illud faciamus, fidamus Deo, speremusque futurum, ut mors non accidat nobis, nisi ad bonum nostrum. Ne tamen fiducia nostra malè fundata sit, & evadat in præsumptionem, demus operam, ut benè ordinemus vitam nostram, & noctis hujus vigilias diligenter agamus. *Beati enim servi, &c.* Exemplum nobis proponitur in D. Silvestro. Vigiliis quatuor



quatuor noctis olim fuisse constat, suntque etiam hodie apud plerosque. Nox vita nostra est, præ die æternitatis: quatuor ejus vigiliæ Juventus, Virilitas, Senectus, Ætas decrepita, et si alii aliter partiuntur. Pueritiam non numero, quia vix vigilia est, dormit plerumque ratio. In Juventute complector adolescentiam. Virilitas maturos cogitando & agendo annos, in vegeto adhuc corpore, comprehendit. Senectus in declivi est, affectis jam viribus, sed nondum abjectis. Decrepitam ætatem voco, quæ Psalmistæ vocatur *labor, & dolor*.

Prima vigilia Silvestri acta sub Cyrillo Presbytero, & qualiter. Olim soliti se dare in disciplinam virorum proborum: Origenes puer Clementi traditus: Gregorius Thaumaturgus Origeni: Martinus Hilario &c. Quid jam agendum.

Alterâ vigiliâ, fit Sacerdos. Quanti gradus ille faciendus: quomodò fierent olim impulsu populi, uti Paullinus, Augustinus &c.

Tertiâ, Pontificatus Maximus. Miracula ab eo patrata possunt per præteritionem narrari ex Baronio. Vera Sanctitas in operibus. Duo stringo, Arii condemnationem, Constantini conversionem. Per hanc dici potest S. Silvester Apostolus totius orbis, sicut S. Remigius dicitur Apostolus Franciæ ob Regem Clodovæum conversum.

Quartam vigiliam non attigit S. Silvester. Neque interest quando moriaris, dum benè.

Qui

Qui primâ vigiliâ deprehenduntur vigiles, æquè audiunt *Beati*, atque qui quartâ. Somnus peccati vitandus omnibus, omni ætate: quia nescimus, quâ horâ venturus sit Dominus. *Omni- bus dico, Vigilate, Videte vobis, & providete in futurum, ut & vobis provideat Deus.*

## DIE CIRCUMCISIONIS.

**T**HEMA. *Postquam consummati sunt dies octo, ut circumcideretur puer, vocatum est nomen ejus IESVS. Luc. 2.*

Post vota fælucis anni, ut solet, præmissa, dicatur non sufficere optari bonum annum, sed discendum modum eum habendi, quod jam fiet.

A V E.

Si quæremus, quis optimus vitæ nostræ annus, alii aliter respondebunt, pro genio suo & affectu. Christiano optimus ille est, qui maxime de bona æternitate participat, eò tendit, Æternitati pingit, laborat: Agit, Abstinet, Sustinet. Huc refer procemii numerum tertium & quartum. Ut benè agamus, sumamus nomen **J E S U**: ut abstinenceamus, cultrum circumcisionis: ut sustineamus, lacrymas & Sanguinem Christi circumcisi.

*Omnia in nomine Domini IESV*, bonas actiones, imò & indifferentes, &c. Vide hac de re Chrysostrum Oratione habita Calendis, ad illud *Omnia in gloriam Dei facite*. Flores inscripti nomina Regum, aut potius Regis Regum, nascun-

nascuntur in terris Christianorum.

Non sufficit agere in nomine JESU, nisi abstinence in ejus nomine, circumcidantur non tantum peccata, sed occasiones peccandi. Xenia milites Duci, subditi Principi, filii parentibus hodie offerunt. Christo nihil nos hodie melius, quam seriam voluntatem hoc anno, qui forsitan postremus nobis erit, abstiaendi à peccatis. Quid enim nobis prodest, si universum mundum lucremur, animæ detrimentum patiamur? Quò abière anni præteriti? Quid nobis inde superest, si malè viximus, &c.

Nec tantum mala culpæ caveamus, sed mala pœnæ patiamur. Pati facile est: pauci nostrum sine dolore annum præteritum transière, pauci hunc transibunt. Demus operam, ut benè patiamur. Bonæ voluntatis homo hoc facit: Considerationes potentissimas in eum finem attulimus, toto hoc Tractatu. Addi pro coronide debent lacrymæ Christi. Si tanti facit ipse lacrymas nostras, ut ponat in conspectu suo; ponamus & nos ipsius fletum puerilem in conspectu nostro, jungamus & sanguinem. *Unicus sine peccato, non tamen sine flagello.*

Claudatur concio iteratis votis anni Christiani, & vitæ fælicis. Fieri poterunt verbis, quæ Moses jussu Dei Sacerdotibus olim præscripserat. *Sic benedicetis Filiis Israël, & dicetis eis, &c.*

Potueram isthæc omnia multò fusiùs extendisse. Sed visum est meliùs industriæ Concionatoris aliquid relinquere, ut rem suam faciat.

Sua

Sua enim plerique lubentiùs, honestiùs saltem, dicunt. Quamquam etiam non raro evenit, ut meliùs aliena quidam dicant, quàm alii sua, quia vel sunt corporis habitudine, vel animi præparatione meliore. Quomodò interdum accidit, ut procuratores mercatorum plus eorum distrahendis mercibus lucri faciant, quàm mercatores ipsi : quia negotiationem majore vel industria, vel fælicitate exercent. Id tibi opto, si quis hisce aliisque nostris utêre.

